

Cod. Praedicatt. Vindobon. s. sign. anni 1462. — Ad Laudes **A** 2, 1 Pauper factor. — In 2. Vesp. ad Magn. **A**, 7 scarie. — Dieses Officium ist auf das Schema der Historia de s. Dominico gearbeitet und vermutlich von einem Dominikaner-Dichter. Mit diesem verdient verglichen zu werden das auf das gleiche Schema gearbeitete Officium bei Mone 201; daß zwischen beiden eine Verwandtschaft besteht, unterliegt keinem Zweifel.

6. De facie Salvatoris.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Laudibus exsultent
pueri veteresque resultent
Ob faciem Christi,
quae fert pia gaudia tristi.

2. Inclita pictura,
praeclara decore figura,
Adspiciat gentes
laudes sibi retribuentes.

3. Mens mea laudet eum,
qui vivens regnat in aevum
Sic in amore Dei
psallat sacrae faciei.

4. Sint grati psalmi,
da gratiam pneumatis almi,
Victori mortis,
cujus vultum colit orbis.

5. Hierusalem vultum
divino lumine fultum
Lauda nunc hymnis,
quem percutis antea pugnīs

- R. Fortis et invictus,
cujus vultus benedictus,
Hic demonstratur,
cui laus condigna paratur,
Adjuvet adstantes
et cantica laeta canentes;

- V. Det Jesus, ut dignas
valeamus pangere laudes.

Ad Magnificat.

- A. Impressam peplo
Jesus effigiem dare saeclo
Dignatur misero
pro consolamine vero;
Quisquis ei servit,
hanc laetus postea cernit,
Quando parebit
judex, quem quisque videbit.

Dreves, Historiae rhythmicae.

Ad Nunc dimittis.

- A. Non pius est cultor
nec Christi verus amator,
Vexilli festum
qui non colit ejus amandum.

Ad Matutinum.

Invitorium.

- Christum regnantem
jubilantes magnificemus,
Ejus venerandum
vultum nunc glorificemus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Signavit Dominus
sacri nos lumine vultus,
Laetificans corda
sub mundi turbine moesta.

2. In Domino fidens
nec ab illo mente recedens
Cum justis vultum
cernet sine fine beatum.

3. Conserva, Domine,
sperantes firmitus in te
Atque tua facie
nos laetifica, pie Christe.

Responsoria.

1. Laetetur mundus
hymnorum dramate totus
Virtutum meritis
exornans festa tonantis,
E quibus est festum
recolens vultum venerandum.

- V. Ecclesiae vota
jubilamine sunt variata
Ad Domini festa
concelebranda pia.

2. In tanto festo
jubilet plebs corde non maesto
Ora resolvantur
et cantica lacta canantur
Ad vultum Christi
laxent nunc organa cuncta.
- V. Omnis homo studeat,
ut jam sua vota promat
Cum psalmis, hymnis
carminibusque piis.
3. Esse Deo gratum
cupimus nostrum famulatum,
Quando sui signum
vultus colimus venerandum,
Munera multa Dei
laus dat hujus faciei.
- V. Sit tibi nunc grata,
Deus, haec devotio nostra,
Qua cupimus faciem
magnificare tuam.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. In virtute Dei
pariter sanctae faciei
Laetantur reges,
congaudent undique plebes.
2. In terra vasta
quaevis generatio casta
Perquirat faciem
Domini Jacob aetheris ob
spem.
3. Est solus aeterna
facies Christi veneranda,
Quam quaerunt multi,
sperant in eam bene cuncti.

Responsoria.

1. In cruce suspensus
et toto corpore tensus
Exhibet afflictam
Dominus faciem benedictam
Ut pius, ut patiens,
ut mundi debita solvens.
- V. In cruce monstravit,
quod nos moriturus amavit,
Nam sic inclinat
faciem, sicut oscula poscat.

2. Clara Dei facies
mundi salus et decus et spes
In cruce pendebat,
livores sputa ferebat,
Effulsere decor,
lux, gloria vertice Thabor,
- V. Quo viso Petrus
coepit tunc dicere laetus:
Optima res vere
jam nos hic posse manere.
3. Caeditur haec palma
facies quondam satis alma
Et colaphis multis,
maculatur denique sputis;
Redditur a cunctis
nunc illi gloria grandis.
- V. Olim velata
fuit ista salutis imago
Et deturpata,
quod probat omnis homo.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hinnulus ad montes
cervus properat prope fontes,
Ad Domini vultum
sitit ardens mens mea multum.
2. Verbum supernum
ructet mens pneumatè plenum,
Vultum formosum
laudans forma speciosa.
3. Cantemus Domino
sacram faciem venerando,
Cujus ad imperia
se commovet undique terra.

Responsoria.

1. Salvator clemens
e mundo carne recedens
Ob nimium zelum,
quo vult nos scandere caelum,
Donat vexillum,
quo mente feramur in illum.
- V. Ut sit nobiscum
Dominus Jesus hic et in
aevum,
Effigiem sanctam
porrigit ipse suam.

2. Ecce salus quanta
per te, Veronica sancta,
Accessit mundo
lapso, misero, gemebundo!
O facies Christi.
populo fer gaudia tristi.

V. Ad te clamamus,
facies sacra, teque rogamus,
Unica spes nostra,
nos dirige, fer super astra.

3. Evulsit costam
sopor ingens missus in Adam,
Quam mundi matrem
Deus aedificavit in Evam;
Sic pater in prolem
misit crucis ipse soporem,
Sub costis et aquam,
sacrum fundendo cruorem,
V. Ex quibus ecclesiam
mox aedificavit amoenam,
Atque suum vultum
sacrum dimisit in aevum.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Laude tonant voces,
declangunt carmina laudes,
In festo vultus
populus decus induit almus.
2. Ne nos a Christo
vellat cum dogmate ficto.
Hostilis turba,
defende, figura beata.

Brev. ms. Trebonense saec. 15. Cod. Pragense. VI F 20. — Invit. Eius venerantem. — In 1. Noct. R 2, 2 non fehlt. — In 2. Noct. R 2, 2 pellebat. — Hymnen zu diesem Officium, in 1. Vesp.: Magnum gaudium gignitur; ad Complet: Omnis fidelis gaudeat.

3. Sindone non propria
facies fuit ecce relictæ,
Sic pauper fuerat.
qui saecula cuncta ditabat.

4. O jubar ecclesiae,
praelucens lumine solis,
A tenebris velle
gravidatos crimine molis.

5. O facies sancta,
te laude cohors colit ista,
Laudantem Dominum
sustolle tua prece servum.

Ad Benedictus.

A. Ad laudes Domini
populi concurrite cuncti,
Formam verbigenae
nobiscum glorificate.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O facies sacra,
cum mortis venerit hora,
Sis consolamen
nobis praebendo juvamen.
O felix vultus,
hostiles pelle tumultus,
Finem redde bonum,
quod te videamus in aevum.

7. In festo s. Lanceae.

In 1. Vesperis.

R. Surge, sponsa ecclesia,
Sponso redde munia,
Cui clavi gravia
Imprimunt vestigia.

Per quod ruit
Gehennalis Sisara;
Nam clavum Jahel malleus
Ejus fixit in tempora.